



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Davidis Regii Prophetae Psalterivm

Moritz <Hessen, Landgraf>

Smalcaldiae, 1593

VD16 B 3258

Psalmvs LXV. Te decet Hymnus, &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68864](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-68864)

*Emittunt maledicta ceu sagittas,
Nullam dum metuunt Dei ultionem,
Ac necunt laqueos piis dolosos.
Tendunt retia vix videnda cuiquam,
Fraudes parturiunt, nouasq; technas,
Abdunt cordis in intimo recessu.
At tales subito Jehoua perdet,
Misto fulmine sentient sagittam
Infixam sibi, tunc sua ruentes
Lingua ludibrioq; erunt cuius
Cernenti domitos viros feroce.
Sed iusti hoc tribuent opus Jehoua,
In quo gaudia vera sentientes,
Latopectore & ore gloriantur.*

PSALMVS LXV.

Te decet Hymnus, &c.

Laudes, Deus, tuas pium silentium
Montis Sionis excipit.
Hic vota soluunt unicotibi Deo,
Et grata psallunt carmina.
Quod respicis verè inuocantium preces,
Caro omnis ad te configit.

Peccata

Peccata nostra praevalent et nos premunt,
Hac tu remitte & expia.
Beatus ille, quem tua incolam domus
Delegeris tibi aggregans,
Floredit hic in Sanctuario tuo,
Bonis abundans omnibus.
Ah gratia tuos benigna respice
Cornu salutis optimum.
In te genus mortale sperat unice,
Confidit omnis natio.
Tu montium firmas iuga alta robore,
Tu laude magna splendidius.
Ac increpas vasti procellas aequoris,
Motusq; sedas gentium,
Terror gentes & tuis signis moues,
Fines licet terra incolant.
Quodcūq; spirat manē abortu ad vesperā,
Id omne repleas gaudio.
Tu rura ditas, atq; fonte limpido
Tu prata potas arida.
Tu sparsa protegens agrorum semina,
Messel reducis uberem:

Sic riuulis inebrias germen tuis,
Camposq; fertiles facis.
Beas & hortos, imbre suani recreans,
Et rore rura languida.
Annum coronas cum bonis tuis, pedes
Stillant tui pinguedinem.
Deserta florent, prata vestiunt greges,
Donum Dei hac felicitas.

PSALMVS LXVI.

Iubilate Deo omnis terra, &c.

E la agite exultate Deo, quos terrea regna,
Quos spaciofa simul climata cunq; tenent.
Laudibus euehitote pium, super omnia, nomen,
Carmine gratisono concelebrate Deum.
Compellate Deum timido sic ore loquentes: (est?
Quantatua est virtus, dextera quanta tua
Cuius ut attonitus vires perpenderit hostis,
Te colere incipiet, vel simulanter agens.
Omnis terra canat, celebret te, pronaq; adoret
Te, Jova, in laudes officiosa tuas.
Huc agite, aspicite hac, quam sint opera omnia ma
Quae Deus in populo perficit usq; suo. (gna,
Nam